

publicum vehementiora privatim odia excitari consueverunt. Cum enim quisq; Princeps esse optet, & in dicenda sententia vincere, ingentia inter eos odia evadunt, ex quibus seditiones existunt, ex seditionibus cades, ex cadibus ad unius Imperium devenitur. Unde intelligi datur, quanto sit hoc illo præstantius. Jam verò plebe imperante, abesse non potest, quin malitia exoriatur: Exortâ malitiâ in Rep. inter malos non odia fiunt, sed amicitia valide, qui enim ad versus Remp facinorosi sunt, mutuò se occultant, idq; tam diu fit, dum aliquis populo præpositus tales homines compescat, ille videlicet, quem populus inter ceteros admiretur. Hic cum admirationi est, tunc ferè Monarcha ostenditur declarans in hoc Monarchiam esse omnium præstantissimam.

Thef. 11.

Sicut verò ad Reip. existentiam requiritur etiam ejus qui Reip. culmen tenet, autoritas, quæ in uno metuendo venerabilis, non tantum, sed ab insultu omnium immunis esse debet: imò potest facilè, cum media illa, per quæ potissimum servatur, ab uno facilius quam à pluribus observari possint, ita per Polyarchiam dispecta in partes, si ab una tantum non satius prospiciatur, diminutioni obnoxia est.

Thef. 12.

Ire in exempla nunc, atque vel ab ultimis historiarum involucris stabilire sententiam haud vacat. Ajo, si vacaret, absurdus in eo essem, quod abstrusiora conglutinando, ea quæ quotidiana sunt, turgidis postmodum paginis omitterem. Speciosum alijs sit, quod ex regno Israëlitico sub Rehabeam diviso jactare valeamus: Manifestum audiat, quod ex discerpto post mortem Alexandri Imperio se dicendum ingerit; nobis ultima quævis, uti dictum, revocare mens haud sedet. Neque etiam satis novum illud videtur, quod de Remo aliàs prolixè disputant, qui quocunq; modò ceciderit, non alia tamen de causa cecidisse, quam ex æmulatione & ambitione impatiente Liv. lib. 1. & Plutarch. in vita Romuli testantur. Hæc verò æmulatio, frequens